

Habakukum quoque pro Daniele intercessisse, & precibus suis effecisse, ut Daniel ex leonum fovea aliisque periculis sit ereptus. Sed fortasse non meretur explanationem circumstantia delectationis gratia addita.

§. II.

Occasione hujus fabulae oritur quaestio de scriptis Habakuki, vel quosnam libellos ipse scripserit? Supra §. 7. vidimus, Hieronymum una cum Eusebio & Appolinario Habakuko adscribere libellos Susannae, Beli, & draconis Babelici. Qua ratione in hanc sententiam ducti sint illi ecclesiae patres, non constat. Doctiss. Dupin in Dissert. prelimin. sur la Bible L. I. C. III. §. XXI. p. 115. putat, eos in hanc descendisse sententiam occasione antiquae inscriptionis, quam historia Beli habuit: *Prophetia Habakuki filii Judae ex tribu Levi.* conf. Fabricii Cod. Pseudep. p. 116. sed quoniam haec inscriptio tantum historiae Beli praefixa, historia vero Susannae olim in principio Danielis lecta fuit, non apparet, qua ratione isti libelli adscripti sint Habakuko. Obscurum quoque est, cujus autoritatis illa fuerit inscriptio, & quis ille Habakuk fuerit. Illud certum tenemus, historias illas non esse ab Habakuko nostro scriptas, quia non continentur in vaticiniis ejus hebraicis. Quod attinet historiam Susannae, eam non scriptam esse ab Habakuko hebraeo, exinde manifestum est, quod in B. bl. Antv. C. XIII. v. 55 & 58. ad responsionem senis unius, se vidisse Susannam cum juvene *ὑπὸ ξίνου* *sub lentisco*, Daniel respondit, angelus Dei *χίσει σε μέσον* *diffecabit te medium*. Agnoscimus hic autorem Graecum, ex allusione vocum *ὑπὸ ξίνου* & *χίσει σε μέσον*. Sic quoque Graecus autor cognoscitur ex responsione Danielis alteri Seni reddi-